


TESSERA PRIMA

Sacerdotis Magni,

TETRAGRAMMATON

SVB QVO,


velut

Sub Typo & Symbolo Proprio ſingularia ſacratiſſimi ac glorioſiſsimi nominis IESV SACERDOTIS ac PONTIFICIS ſupremi myſteria & encomia lucidiſſimè & luculentiſsimè reſerantur.

AVTHORE,

A.V.P. PETRO SMOGORZEWSKI, Ordinis Seraphici S. Franciſci, Fr. Min. de Obſeruantiâ, eiuſdem inſtituti S. T. Profeſſore.

Cum permiſſu Superiorum.



CRACOVIÆ,

In Officina Typographica Franciſci Ceſarij,

Anno Domini, M. DC. XXII.

Vocabis nomen eius IESVS, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.
Matth. 1.



NEſcio quâ nomen IESV dulcedine cunctos
Allicit, immemores nec ſinit eſſe ſui.
Illi triſte nihil funeſtumq; euenit vnquam.
Qui nomen IESVS mente piâ recolit.
Dulce igitur nomen IESVS in pectore ſcribe,
Namque illo conſtat vita, medela, ſalus.

Perillustri ac Magnifico Domino.

D. IOANNI ZEBRZYDOWSKI,

SUPREMO R. P. ENSIFERO,

LANSCORONEN: SZADKOVIEN: &c. Capitaneo, Domino & Benefactori Suo Clementissimo

F. PETRUS SMOGORZEWSKI, Ord. S. Francisci de Obser. Fr. Minor. Omnem felicitatem à D. IESU precatur.



*Radunt plerique hystoriarum Au-
ctores peritissimi, Perillustris Do-
mine, Romanos illos veteres in
cultu Deorum suorum adeo fuisse
obseruantes & superstitiosos, vt
etiam Deum illum, cuius in tutela vrbs vel oppi-
dum esset, summum nefas ducerent nomine proprio
compellare, eam nimirum ob causam, quòd, cùm
hostes vrbem aliquam obsiderent, aut vrbem aliter
capi posse non crederent, nisi priùs ex ipsà certo car-
mine Deos euocarent Titulares; aut etiamsi id
non impossibile persuasum haberent, nefas tamen
æstimarent Deos habere captiuos. Propterea &
ipsi Romani Deum suum Titularem, & ipsius vr-*

Plutarchus lib. Probl: Plinius. Verrius Flaccus & Macrob.

bis nomen Latinum ignotum esse voluerunt, ne qui hostium simili modo & ratione illos circumuenirent, & in suam potestatem ac seruitutem redigerent. Eandem ob causam refert Lucanus cuiusdam falsi Numinis, quod Dæmogorgon dicitur, fuisse nomen occultissimum, quo vocato, terra concussa tremere solebat, de quo sic Poëta canit:

An ille
Compellandus erit, quo nunquam terra, uocato,
Non concussa tremit? qui Gorgona cernit.

Hæc num vera sint, an ficta à Poëtâ, cuiq́ iudicio æstimanda suo relinquo. Quidquid sit, digni profectò illi Ethnicorum fictitij Dij vel potiùs ipsi Dæmones fuerunt, vt nomina eorum perpetuo silentio & obliuione obruerentur, tetraq́ caligine atque tenebris Cimmeriis sepelirentur. At verus Deus apud quem non est vlla transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, augustissimum & diuinissimum nomen JESVS non vult silentio ferri, nec vllis errorum tenebris vel caligine ignorantiæ obumbrari; quin potiùs gestit, vt pro suâ maiestate & dignitate, toto orbe terrarum, vbiq́ gentium cum summâ reuerentiâ & veneratione prædicetur, celebretur, decantetur, & super sidera extolla-

tollatur. Huius rei gratiâ post Patriarchas, & Prophetas ac Sibyllas (quæ hoc sacratissimũ nomen ante aduentum Christi in carnem variis vaticiniis & præconiis illustrarunt) in lege Euangelicâ Deus ter Op. Max. tot Apostolos, Martyres & Confessores suscitauit, qui sacratissimi ac gloriosissimi nominis JESVS fortissimi testes, & præcones feruentissimi, cultoresq́ fidelissimi extiterunt. Jnter quos primatum obtinet Princeps Apostolorum, & vertex Theologorum Beatus Petrus, qui splendore huius nominis cunctorum intuentium oculos mirum in modum perstrinxit, quando illa vox (in nomine Actor. 3. JESV surge & ambula) tanquam fulgur de ore eius egrediens Æneæ illius claudi, plantas & bases pedum solidauit, multaq́ millia hominum lumine fidei illustrauit. Cui proximus est valde, præstantissimum Vas electionis S. Paulus, qui præclarissimum nomen JESVS tanquam lumen quoddam illustre coram gentibus & regibus deferebat, totumq́ mundum illuminans vbiq́ forti ac constanti animo intonabat, se nihil aliud scire præter IESVM & hunc crucifixum. His Apostolicis viris non absimilis fuit beatissimus & gloriosissimus pauperum

Patriarcha Seraphicus S. Franciſcus, vir Catholicus & totus Apoſtolicus, qui virtute diuini amoris liquefactiuâ in amorem IESV Chriſti crucifixi transformatus, totum ſe cultui ſacratiſſimi nominis IESV dederat, adeoq́ totum ſuum ſtudium & omnem operam in cultu & veneratione huius ſacratiſſimi nominis collocauerat, vt etiam ſanctiſſima Domini nomina & verba ſcripta, vbicunque inuenta eſſent in locis illicitis, voluerit colligere, & in teſtamento ſuo poſtulat, vt à Fratribus colligantur, & in locis honeſtis collocentur. Huius S. viri propoſitum & veſtigia egregiè imitati ſunt, cùm alij plurimi, tum præcipuè fulgentiſſimum ſidus Seraphicæ Religionis noſtræ S. Bernardinus de Senis, inuictus ac indefeſſus ſacratiſſimi nominis IESV declamator, qui veluti Seraphim ardentiſſimus ignito calculo cælitus mundatus, & quaſi torrens igneus rapiduſq́ inundans, nomen illud ſanctiſſimum IESVS, languentis Italiæ vrbes, oppida & caſtra, ac villas quaſq́ perluſtrans, Chriſtianis vitam tepidè agentibus annunciabat, & à virtutis tramite deuios huius ſacratiſſimi nominis præſidio miſericordiam conſecuturos ad pœnitentiam pro-

uoca-

uocabat. His non dissimiles erant & alij viri Sancti quàm plurimi: Talis erat, S. Bernardus, talis S. Dominicus, talis S. Hyacinthus, talis S. Capistranus, quorum adimiranda virtus in prædicatione & veneratione sacratissimi nominis IESV enituit. Talis demum erat (vt alios taceam) insignis ille Dux & Antesignanus SOCIETAT: IESV Sanctus Ignatius Loyola, qui, sub augustissimo sanctissimi nominis IESV vexillo, sacram Societatem IESV, singulare fidei Catholicæ propugnaculum, insigneq; honestissimarũ litterarum & Christianæ perfectionis seminarium erexit, eamq; veluti aciem castrorum fortissimam instruxit ac direxit ad propugnandum & propagandum sacratissimi nominis IESV cultum. Horum Sanctorum Patrum egregia facta & exempla & ego imitatus, nec minus splendore quàm amore sanctissimi nominis IESV illectus, nonnulla præcipua huius celeberrimi nominis mysteria & præconia collegi, eaq; in vnam tesseram SACERDOTIS verè MAGNI D. N. IESV Christi redegi, quam sub felicissimis auspiciis Tuis, Vir Dignissime, typis mandare & in lucem proferre decreui. Exposcebat hoc à me, cùm

Tua

Tuæ in excelso positæ virtutis præstantias; tùm præcipuè Tua Tuorumq́ nobilissimorũ Parentum singularis ergà hoc augustissimũ & diuinissimum nomen Pietas & Religio, cuius multa & præclara extant in Ecclesiâ Sacrosancta monumenta, inter quæ mirificè coruscat noua illa Typica in Tuis patriis montibus celeberrima Caluaria, singulare mysteriorum & meritorum Passionis Dominicæ ac diuitiarum spiritualium Gazophylatium, totiusq́ Europæ nobilissimum monile & Emporium, in quâ ad inuocationem sacratissimi nominis IESV corda plusquam ferrea emolliuntur ad pænitentiam, miracula perpetrantur, indulgentiæ plenariæ, multaq́ alia diuina beneficia & consolationes spirituales elargiuntur. Accipe igitur, Vir Amplissime nunc primã verè MAGNI SACERDOTIS tesseram, eamq́ nomine Sanctissimo IESV veluti numine Titulari illustratam amplectere. Deus ter Opt. Max, Celsitud. Tuam Ecclesiæ suæ & Reip. nostræ quàm diutissimè saluam & incolumem tueatur, omnesq́ actiones Tuas ad gloriam nominis sui sempiternam dirigere & prosperare dignetur. Vale columna Ecclesiæ, præsidium pauperum. Dat. Crac. ad Ædes S. Bernardini. Calen. Ian. 1622.

TESSERÆ PRIMÆ.

PROOEMIVM.



INter cæteras præclarissimas & amplissimas Christi Domini Sacerdotis & Pontificis supremi prærogatiuas & excellentias, non video, quod mihi ante omnia veniat considerãdum, quàm sanctissimum & augustissimum nomen IESVS, cuius paucis quidem verùm non obscuris verbis S. Lucas Euangelista expressit mysterium, cùm in hunc modum scribit: Postquam consummati sunt *Lucæ 2.* dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius IESVS, quòd vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur. Magnum sanè, & (vt mellifluus Doctor atte- *S. Ber. ser de Circumcisione.* statur) mirabile Sacramentum. Circumciditur puer, & vocatur nomen eius IESVS. Quid sibi vult ista connexio? Circumcisio nempe, magis saluandi, quàm Saluatoris esse videtur; & Saluatorem circumcidere decet potiùs quàm circumcidi. Sed agnosce Mediatorem DEI, & hominum, qui ab ipso natiuitatis suæ exordio diuinis humana sociat, ima summis. Nascitur ex muliere, sed cui fæcunditatis fructus sic accedat, vt non decidat flos virginitatis. Pannis inuoluitur; sed ab ipsis Angelis laudibus honoratur. Absconditur in præsepio; sed proditur radiante stellâ in cælo. Sic & Circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis, & nomen, quod est super omne nomen, gloriam indicat Maiestatis. Circumciditur tanquam verus Abrahæ filius; IESVS vocatur tanquam filius Dei. Neque enim ad instar priorum iste meus IESVS nomen vacuum & inane por-

Lucæ 2. tat. Non est in eo magni nominis vmbra, sed veritas. Cælitus siquidem inditum nomen testatur S. Euangelista, quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur. Vocatum planè non impositum nempe hoc ei nomen est ab æterno. A naturâ propriâ habet, vt sit Saluator: innatum est ei nomen hoc, non inditum ab humanâ vel Angelicâ creaturâ. Hæc Doctor mellifluus. Quisnam ergò & qualis fuerit puer iste pro redemptione humani generis in ætate infantili circumcisus, conijce ex proprio vocabulo, quod procul omni dubio religiosâ & deuotâ mente credimus esse Sanctum, & sanctissimis mysterijs ac delicijs plenum. IESVS enim (teste eodem Doctore mellifluo) est Redemptor perditorum, Saluator redemptorum, spes exulum, fortitudo laborantium, anxiati spiritus latitudo, animæ lacrymosæ & post se in sudore currentis dulce solatium, & suaue refrigerium, corona triumphantium, vnica merces & lætitia omnium supernorum ciuium, vberrimus fons omnium gratiarum, inclyta proles summi Patris, & summus Deus, quem benedicunt omnia quæ in cœlo sunt sursum & quæ in terrâ deorsum. Hæc ille. Quid igitur dignum eo loqui possumus, cuius ne nomen quidem vacuum est luce laudis? Certè excelsior cælo est, profundior inferno, longior terrâ, & latior mari, cuius laudes dicere gestimus. Ipsum quoque nomen sanctissimum & diuinissimum IESVS tantæ est excellentiæ & maiestatis, tantæ prærogatiuæ & authoritatis, vt à nullo prorsus possit sine speciali Spiritus Sancti gratiâ dignè & meritoriè nominari. Nemo enim teste Apostolo potest dicere nomen IESVS, nisi in Spiritu S. Vnde & ardentissimus ille huius sacratissimi nominis amator & feruentissimus declamator S. Bernardinus de Senis ingenuè fatetur: Deficit sensus, hæret palato lingua, & omnis arescit sermo, cùm mens humana de nomine IESV considerat pronunciare sermonem. Est nempe tam amplum tamque profundum pelagus

Nomen IEsus sanctissimis mysterijs ac delicijs plenum.

S Ber. de Passione D.

Iob 11.

1 Corint. 14.

Nomen IEsus nemo potest proferre nisi in Spiritu Sancto.

S. Bernardinus de Senis ser. 48. de Euangelio æterno.

lagus

lagus nomen IESVS, vt plenam explanationem illius nullus humanus intellectus exprimere queat. Quis enim incomprehensibilem explicare valeat? Quis possit exprimere infinitum, aut quis Deum & hominem poterit coarctare sermone? Propheta enim ait: Secundùm nomen tuum Deus, sic & laus tua, id est, secundùm rem nominis tui laudabilis es Domine. Sed quis rem nominis eius explicare poterit, vt laudet Deum per eam & propter eam? Quis est tantæ gratiæ & tantæ virtutis, vt ad laudis eius præconium aliquo modo reperiatur idoneus? Nemo prorsus nisi fuerit labiis circumcisus & purgatus. Proinde Isaias in contemplatione subuectus ad regis gloriæ visionem, antequam de IESV, quem vocat Emmanuel, & de conceptione virginis ordiretur sermonem, profitetur se pollutum, & Seraphicum experitur ministerium: carbonem labiis sensit ignitum, & sic purgatus & spiritualiter circumcisus virgineum conceptum annunciat & filij nomen in vtroque declarans venerabile fidei Sacramentum. Veni igitur Domine IESV Christe, qui minister es nostræ spiritualis circumcisionis, & labia mea tangas, iniquitatem auferas, meum expurges affectum, illumines intellectum, perficias imperfectum, calamum vel linguam admoueas, manum dirigas & actum; vt ad tui nominis gloriã tuæ charitatis ardor immissus euaporet flammam.

Psal. 47.

Isaiæ 6.

CONSIDERATIO I.

Lege diuinâ sancitum erat, vt Summus Pontifex sanctuarium ingressurus, & sacrificium oblaturus, Pontificiis ornamentis indutus, caput thyará tegeret, exquâ Sacrosanctum nomen Dei aureæ laminæ insculptum dependeret. Sic enim hac de re præceperat Dominus Mosi dicens: Facies laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris Sanctum Domino, ligabisq; illam vittá hyacinthiná, & erit super thyaram imminens fronti Pontificis.

Exod. 28.

Lamina aurea carnem Christi purissimam adumbrat.

Lamina hæc ex auro purissimo conflata, allegoricè, carnem Christi ex purissimo sanguine immaculatæ Virginis, veluti auro mundissimo operatione Spiritus Sancti compactam adumbrat, vitta hyacinthina, quæ colorem cælestem refert, vnionem illam hypostaticam designat, quæ laminam cum thyarâ, hoc est, humanitatem Christi cum diuinitate ligat & copulat. Sanctum autem Domino nomen illud TETRAGRAMMATON laminæ aureæ impressum nomen sanctissimum IESVS ad vnguem exprimit, quod ille Sacerdos verè magnus pro maiori excellentiâ & authoritate suâ defert. Si enim viris doctissimis & grauissimis credimus, optimè profectò & apprimè nomen TETRAGRAMMATON, quod vulgò IEHOVA dicitur, nomen sacratissimum & diuinissimum IESVS repræsentat; sed nomen IESVS est maioris & amplioris dignitatis, sanctitatis, prærogatiuæ & auctoritatis; pluraque & sublimiora continet in se arcana diuina & mysteria. IEHOVA apud Hebræos tribus tantùm constat vocalibus, quæ ex naturâ sua nomen ineffabile constituunt. Et licet quatuor litteris exprimatur (vnde TETRAGRAMMATON nuncupatur) tres tamen duntaxat litteras (quandoquidem bis vna earum in eodem nomine ponitur) non sine mysterio complectitur; quarum prima est, Iod (ordine transuerso more Hebræorum ab vltima inchoando) quæ apud Hebræos designat principium, & per hanc litteram intelligitur prima persona in diuinis, Pater videlicet æternus, à quo veluti principio primo est omnis paternitas in cælo & in terrâ. Secunda littera est He, quæ denotat vitam, seu Essentiam & existentiam rei, per quam secunda persona in diuinis Verbum scilicet diuinum, seu æterni Patris Filius designatur, per quem facta sunt omnia, & à quo habent suam essentiam, existentiam, vitam & intelligentiam vniuersa. Et hæc littera bis nimirum in secundo & vltimo loco collocatur, eam videlicet ob causam, quia Verbum incarnatum

Tetragrammaton nomen sanctũ Domino sanctissimum nomen IEsus ad vnguem exprimit.

Gal. lib. 3. de arcanis. Cathol. veritatis.

Iansenus li. 7 Cornelius Cornelii à Lapide in lib. Num. c. 13.

Tetragrammaton Symbolum Sanctissimæ Trinitatis.

gemi-

geminam naturam & ſubſtantiam, geminamq; eſſentiam & exiſtentiam, nempe diuinam & humanam in ſe complectitur. Tertia littera eſt Vau, quæ vinculum quoddam præſefert, & hac litterâ, tertia perſona in diuinis nimirum Spiritus Sanctus exprimitur, qui nihil aliud eſt, quam nexus quidam & complexus indiſſolubilis Patris & Filij vtriq; coæuus & conſubſtantialis. Præter has litteras & myſteria nomen ſacratiſſimũ IESVS in lingua Hebræâ habet litteram Schin ש appoſitam, quæ in medio conſtituta efficit, vt nomen illud Tetragrammaton ineffabile nunc effari liberè & pronunciare poſſimus, loco conficti IEHOVA proferendo Ieſua vel Ieſuah, & per Craſim Ioſue, vel quod magis litteræ conſonat Ieſue, quod eſt Ieſus ſeu Saluator. Hæc autem dictio Hebraica יהשוה litteris ſuo ordine ritè diſpoſitis crucem ſacroſanctæ crucis figuram, ſacraq; Crucifixi Domini noſtri IESV CHRISTI ſtigmata conuenientiſſimè adumbrat. Littera verò Schin ש, quæ in modum lampadis ardentis efformatur, præclarè Hebræis myſterium Incarnationis Verbi diuini repræſentat. Nam quemadmodum in hac vnâ litterâ tria diſtincta & diuerſa puncta per vnam lineam adunantur: pari ratione in ineffabili Incarnationis Verbi diuini myſterio, tria diuerſa ac inter ſe multùm diſparata, caro, videlicet, anima & diuinitas, ſeu natura diuina per vnionem hypoſtaticam miro & ineffabili modo ad inuicem ſibi conſociantur, & confœderantur. Et quoniam Verbum incarnatum medium eſt, per quod Deum notitiâ verâ & perfectâ cognoſcimus: Deum enim nemo nouit vnquam ait S. Ioannes, ſed vnigenitus Dei Filius qui eſt in ſinu Patris ipſe nobis enarrauit: idcircò Patribus illis antiquis ante incarnationem Chriſti Domini abſconditum erat hoc verbum, ita vt nec intelligerent quid propriè ſignificaret, nec ſcirent quomodo illud pronunciarent: at nobis in Chriſtum credentibus reuelatum eſt hoc nomen, eiuſq; reſeratum myſterium



Littera Schin Hebrais myſterium Incarnationis repræſentat.

1. Ioan. 4.

Lucæ 1. ab Angelo Gabriele Beatiss. Virgini Mariæ Incarnationem Filij Dei hunc in modum nunciante: Ecce virgo concipies & paries Filium & vocabis nomen eius IESVM, id est Saluatorem. *Matth 1.* Cuius alibi rationem reddit, cùm ad Iosephum ait: Vocabis nomen eius IESVM: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. IEHOVA ergò est Symbolum & ænigma nominis IESV; at nomen IESVS est Hypotyposis, seu declaratio, & illustratio nominis Iehoua: IEHOVA designat Deum, quâ Dominus, & creator est: IESVS verò exprimit Deum, quâ Saluator & Redemptor omnium saluandorum est. *Nominis Iehoua & nominis IEsu Antithesis.* Sicut autem maius, & excellentius est beneficium redemptionis, quàm creationis, (nihil enim nasci profuit, nisi redimi profuisset) ita maius, & excellentius est nomen IESVS, siue Redemptoris, quàm nomen IEHOVA siue Creatoris. *Iesus nomen excellentius & venerabilius quàm Iehoua.* Iehoua denotat eum, qui à se habet esse, subsistens, æternum, immensum, infinitum, & immutabile, estque idem cum eo nomine, quo se Deus nominat dicens: Ego sum, qui sum: at Iesus includit eum, & qui est à semetipso, & per semetipsum vbique subsistens, & qui erat ab æterno, & qui semper futurus est, æternus, incommutabilis, & infinitus, & per quem facta, pacificata, ac restaurata sunt omnia, siue ea, quæ in terris, siue ea, quæ in cælis sunt. *Exod. 14.* IEHOVA est fons & principium omnis entis, causalitatis, & perfectionis; at verò IESVS est etiam fons, & origo omnis vitæ, gratiæ, virtutis, & felicitatis. Iehoua omnia creat & conseruat; at Iesus etiam perditos saluat, mortuosq; viuificat, iustificat, & beatos reddit. *Exod. 14.* Iehoua debellauit, & deuastauit Ægyptum & Pharaonem; IEsvs profligauit, contriuit, & spoliauit infernum, & Diabolum. Iehoua Hebræos per mare rubrum traduxit in terram Ghanaan; IEsvs autem per sanguinem suum, quo à peccatorum sordibus abluimur, deducit nos ad regna polorum. Iehoua fuit nomen Iudæis ineffabile; Iesvs est omnibus Christianis nomen

men inæstimabile. Iehoua nomen sanctum ac venerabile; Iesvs quoq; nomen est sanctum & terribile. Iehoua timor, & pauor erat gentium; Iesvs est terror & tremor non tantùm gentilium, verumetiam omnium inferorum. Iehoua est nomen diuinitatis; IEsvs verò est nomen diuinæ maiestatis,& humanitatis: Iehoua est ænigma sanctißimæ Trinitatis; IEsvs autem est etiam Symbolum Verbi incarnati, arrhaboq́; salutis & pignus æternæ hæreditatis,omnisq́; nostrę felicitatis. Ipse est Alpha & Omega, principium & finis; ipse est à quo, per quem, & in quo sunt omnia. Ipse est largitor omnium bonorum liberalißimus; ipse est Author fidei; ipse est Auctor, & Conseruator omnis gratiæ & virtutis; ipse est fons salutis, omnisq́; nostræ beatitudinis, ac felicitatis. Hoc nomen IESVS celebratum est in tribus illis celeberrimis Patriarchis legis veteris, quorum primus erat Iesus Naue, dictus Iosue, qui cùm hostem debellaret, solem in cælo stare fecit, quique Israeliticum populum in terram promissionis induxit. Secundus Iesus Iosedec, sacerdos magnus, qui anno primo Cyri Regis Persarum, cum Zorobabele templum Salomonis à Chaldæis dissipatum restaurauit, cultumq́; Dei mirum in modum amplificauit. Tertius Iesus Sirach Doctor eximius, qui sapientiam Dei in corde suo innouauit, quiq; cælesti doctrina filios Israel erudiuit. Omnes isti typum, & figuram gessere veri Saluatoris Christi, qui multò meliùs, & clariùs, quàm alij cælestem doctrinam Apostolis, & Ecclesiæ sanctæ de sinu Patris susceptam reuelauit, qui cælestis Ierusalem ruinas instaurauit, qui (vt ait Apostolus) multos filios ad gloriam adduxit multoq́; fæliciùs, quam Iosue fideles suos in æterna tabernacula introduxit. De hoc nomine vates diuino afflati spiritu multa prædixerunt. De isto nomine Isaias vaticinans pronunciauit: Propter Syon non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator

Nomen IEsus in tribus Patriarchis est celebratum.

Iosue 10.
Eccl 46.
Zach. 1.

Heb. 2.

Isaia 62.

eius vt lampas accendatur. Et videbunt gentes iustum tuum, & cuncti Reges inclytum tuum. Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit. Ad hoc nomen Habacuc respexit, dum ait: Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.

Hab ac. 3.

CONSIDERATIO II.

Nec tantùm Prophetæ, verùm etiam Sibyllæ gentiles multa vaticinatæ sunt. Hoc nomen spiritu prophetico afflata Sibylla Erythrea prædicauit, quæ multos versus acrostichos composuit, quorum primæ syllabæ hæc sacra verba reddunt, vt præclare D. Augustinus in libro de ciuitate Dei declarat:

D. Aug. lib. 18. de ciuit. Dei cap. 22. Sibyllæ Erythreæ vaticinium de Christo, artificiosè cōpositum.

ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ, ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ, ΣΩΤΗΡ.

id est,

IESVS CHRISTVS DEI FILIVS SERVATOR.

Versus autem Græci vt ab Eusebio referuntur sunt isti.

Ι δρώσει γὰρ χθὼν κρίσεως σημεῖον ὅς ἔσται,
Ἥ ξει δ' οὐρανόθεν βασιλεὺς αἰῶσιν ὁ μέλλων,
Σ άρκα παρὼν κρῖναι πᾶσαν καὶ κόσμον ἅπαντα,
Ὄ ψονται δὲ Θεὸν μέροπες πιστοὶ καὶ ἄπιστοι.
Ὕ ψιστον μετὰ τῶν ἁγίων ἐπὶ τέρμα χρόνοιο
Σ αρκόφορον, ψυχὰς δ' ἀνθρώπων ἐπὶ βήματι κρινεῖ
Χ έρσος ὅτ' ἂν ποτὲ κόσμος ὅλος, καὶ ἄκανθα γένηται
Ρ ίψωσι τ' εἴδωλα βροτοὶ καὶ πλοῦτον ἅπαντα
Ι χνεύων ῥήξει τε πύλας εἱρκτῆς ἀίδαο
Σ ὰρξ τότε πᾶσα νεκρῶν ἐς ἐλεύθερον φάος ἥξει.
Τ οὺς ἁγίους ἀνόμους τε τὸ πῦρ αἰῶσιν ἐλέγξει
Ὁ πόσα τις πράξας ἔλαθεν τότε πάντα λαλήσει
Σ τήθεα γὰρ ζοφόεντα Θεὸς φωστῆρσιν ἀνοίξει
Θ ρῆνος τ' ἐκ πάντων ἔσται, καὶ βρυγμὸς ὀδόντων.
Ἐ κλείψει σέλας ἠελίου, ἄστρων τε χορεῖαι.
Ὀ υρανὸν εἱλίξει, μήνης δέ τε φέγγος ὀλεῖται.
Ὑ ψώσει δὲ φάραγγας ὀλεῖ δ' ὑψώματα βουνῶν.

Ὕψος δ' οὐκ ἔτι λυγρὸν ἐν ἀνθρωποῖσι φανεῖται
Ἴσα τ' ὄρη πεδίοις ἔσται, καὶ πᾶσα θάλασσα.
Οὐκ εἰς πλοῦν ἕξει, γῆ γὰρ φρυχθεῖσα κεραυνῷ
Σὺν πηγαῖς ποταμοὶ καχλάζοντες λείψουσι
Σάλπιγξ δ' οὐρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσει
Ὠρύουσα μύσος μέλλον, καὶ πήματα κόσμου.
Ταρτάρεον δὲ χάος τότε δείξει γαῖα χανοῦσα.
Ἥξουσι δ' ἐπὶ βῆμα Θεοῦ βασιλῆες ἅπαντες.
Ῥεύσει δ' οὐρανόθεν ποταμὸς πυρὸς ἠδέ γε θείου.

Hæc autem carmina Græca, quia Latinè malè verſa, vel mendoſè tradita apud D. Auguſtinum loco ſupra citato habentur, ſic emendata, & correcta ab aliis traduntur: reddunt verò prima ſingulorum verſuum elementa hunc ſenſum.

IESVS CHRISTVS DEI FILIVS SERVATOR, vti patet primas litteras intuentibus.

I udicij in ſignum tellus ſudore madeſcet,
Et Rex æternus ſummo deſcendet Olympo,
Scilicet vt carnem, mundumque vt iudicet omnem,
Vnde Deum fidi, diffidenteſque videbunt,
Summum cum ſanctis in ſæcli fine ſedentem.

Corpora tunc repetent animæ, quas iudicet ipſe,
Horrebitq; iacens denſis in vepribus orbis.
Reiicient ſimulacra viri, gazaſque repoſtas,
Incendetq; ignis terras, pontumq; polumque,
Sanctorum caro tunc reddetur libera luci,
Tartarea at ſemper cruciabit flamma ſceleſtos,
Vtq; quis occultè peccauerit, omnia dicet,
Sub lucemque Deus reſerabit pectora clauſa.

Dentes ſtridebunt, crebreſcent vndiq; luctus,
Et lux deficiet, ſolemq; nitentiaque aſtra.
Inuoluent tenebræ, tum Lunæ ſplendor obibit.

F oſſas attollet, iuga deprimet ardua, montes,
I mpediens homines nil erit ſublime, vel altum.
L onga carina fretum non ſcindet, montibus arua
I pſa æquabuntur; nam fulmine torrida tellus,
V naque & riui, & fontes, & ſtagna peribunt,
S idereiſque ſono triſti tuba clanget ab oris.

S tultorum facinus mœrens, mundique dolores,
E t Chaos oſtendet cum pœnis terra dehiſcens,
Regeſq; ad ſolium ſiſtentur Numinis omnes,
V ndaque de cælo fluet ignea ſulphure miſto,
A duoluens ſecum rebus quicunq; caducis,
T erreniſq; opibus ſeſe addixêre, nefandis,
O bſtricti vitiis, ſupremi iudicis, æquas
R eddant pro meritis, cuique vt ſententia, pœnas.

His verſibus adduntur duo ad explicandum, quis ſit ille talibus verſibus deſcriptus:

Οὗτος ὁ νῦν προγράφεις ἐν ἀκροστιχίοις μὲν ἡμῶν
Σωτὴρ ἀθάνατος βασιλεὺς ὁ παθὼν ἕνεκα ἡμῶν.

Hic nunc præſcriptus, per ſingula carmina noſtra,
Eſt Rex Saluator noſtro pro crimine paſſus.

Huius generis verſibus delectatus eſt M. Tullius Cicero, qui in libro de diuinatione cum de Sibyllis ſermonem facit, rectè inde concludit non eſſe illud carmen furentis ſed attenti animi, quod tum ipſum pòema declarat, (eſt enim magis artis & ſcientiæ, quàm incitationis & motus) tum ea quæ acroſtichis dicuntur, cùm deinceps verſus litteris connectuntur, vt in quibuſdam fecit Ennius. Ad hunc modum ille. His, (quæ hìc ex Sibylla Erythræa retulimus) multa ſimilia Sibylla Cumana de Chriſto Domino Saluatore noſtro prædicauit, & inter alia (vt refert Sixtus Senenſis) huius nominis ſacratiſſimi IESVS numerum litterarum & myſticum ſenſum his verbis ænigmaticè reſerauit, cùm ita canit:

Sixtus Senē. in ſuâ Bibliotheca: Sibyllæ Cumanæ de Incarnatione Filij Dei & ſacratiſſimo eius nomine vaticinium

Tunc

Tunc ad mortales veniet mortalibus ipſis
In terris ſimilis, natus Patris omnipotentis,
Corpore veſtitus, vocales quattuor autem,
Fert: non vocaleſque duas, binum geniorum.
Sed quæ ſit numeri totius ſumma docebo;
Numque octo monades, totidem decades ſuper iſta,
Atque hecatontadas octo infidis ſignificabit
Hominibus nomen: tu verò mente teneto
Æterni natum Chriſtum, ſummique parentis.

Vbi Sibylla præclare aſſerit nomen Græcum ΙΗΣΟΥΣ quatuor conſtare vocalibus & duobus conſonantibus, vocales ſunt Ι, Η, Ο, Υ. Conſonantes autem duo ſigmata duorum geniorum, id eſt, Angelorum nimirum, vt quidam autumant, Sathielis, & Satanæ, hæc enim nomina habent ſigma in principio, vel potiùs illorum duorum Seraphinorum, qui clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum. Præterea affirmat Sanctiſſimum nomen continere octo monades, id eſt, octo vnitates, & totidem decades, id eſt, octies decem, ſeu octoginta, & octo hecatontadas, id eſt, octies centum, ſeu octingenta. Hunc enim numerum continent Græcæ litteræ Sacratiſſimi nominis IESVS, quod Græcè ſcribitur ΙΗΣΟΥΣ. Nam Iota littera valet decem, Hita octo, Sigma valet ducenta, duplex ſigma, quadringenta, Omicron ſeptuaginta, Ypſilon quadringenta. Quos omnes numeros ſi collegeris in vnum, inuenies octingenta, octoginta, octo; qui numerus ſiue ſimplex, ſiue per decem, ſiue per centum multiplicatus fuerit, eſt typus Reſurrectionis & futuræ vitæ, atq; æternitatis. Sacroſancti igitur nominis IESVS non tantùm Etymologia, ſed & ipſe quem litteris comprehendit numerus perpetuæ ſalutis redolet myſteria, vt docet Venerabilis Beda ſuper Lucam C. 2. Idcirco quidam non incongruè verſu dixit:

Cui tria ſunt octo, Saluator ſis mihi vt opto.

Iiſus.

iota, hita, omicron, ypſilon.

Octonarius numerus ex nomine Ieſu colligitur.

I. 10.
H. 8.
Σ. 200.
O. 70.
Υ. 400.
Σ. 200.

Symbolum Reſurrectionis & vitæ æternæ.

Non voret innumerus, Cui tria sex numerus.

Nomen enim Antichristi proprium quod ignoratur constat litteris Græcis, quæ numerum σ. σ. σ. significant. teste D. Ioanne qui nomen Antichristi obscurè indicans, ait: Numerus eius sexcenti sexaginta sex. Hic autem numerus, senarius est rerum caducarũ, quæ sex diebus conditæ sunt, ideoq́; & Antichristo rectè competit, quia Antichristus, & Antichristiani caducis rebus erunt mancipati. Numerus verò Christi ogdoadas seu octonarios habet triplicatos, quia octonarius est numerus Circumcisionis, & Resurrectionis Christi, & futuræ vitæ: octauâ enim die, id est, Dominicâ, quæ septimum Sabbati diem sequitur, Christus est circumcisus, & resurrexit, & vitam beatam inchoauit. Præterea vt senarius numerus non attingit, septenarium numerum quietis; septimo enim die requieuit Deus ab omni opere quod patrârat; Sic Antichrístus & Antichristiani quietem non attingent, sed æternis tormentis cruciabuntur. Octonarius verò non solum attingit, sed etiam superat, eundem septenarium numerum, estq́ue numerus gloriæ (quæ mortis quietem sequitur) quam Christus possidet, eiusq́ue imitatores perpetuam consequentur. Eundem octauum numerum, & eadem mysteria, in se continet nomen Sacratissimum IESVS hoc schemate expressum. Si enim in hoc schemate Græcas litteras & characteres consideremus; circulus, seu littera O, id est, omicron denotat. Septuaginta, I & H, significant decem, & octo, S. ducenta; his signum crucis inscribitur, ✠ quod constat duplici littera-T-au, vnâ deorsum demissâ, alterâ sursum erectâ, quarum vnaquæque sigillatim acceptâ Græcis trecenta, geminata verò sexcenta designat: hæc autem omnia simul iuncta eundem numerum, & eadem mysteria continent de quibus hic dissserimus. Iam verò si easdem literas & idem nomen contemplemur quatenus solaribus radiis circumfusum irradiatur



Nominis Antichristi mysterium.
Barrad. tit. 1. lib. 9. c. 3.
Apoc. 13.
Quid per senarium intelligatur

diatur (solet enim intra circulum radiis circumdatum depingi, in cuius vertice crux vel Christi imago cruci affixa cernitur) haud etiam vacat mysterio; nam (præterquam quod ait Vates in laudem huius nominis sanctissimi: Ante solem permanet nomen eius) clarissimè declarant hi radij, quibus nomen IESV irradiatur ab eius claritate, & fulgore nominis tenebras fuisse depulsas, quæ totum terrarum orbem occupauerant; quod S. Mater Ecclesia cum Propheta in Dominica I. Aduentus ita decantat: Ecce nomen Domini venit de longinquo, & claritas eius replet orbem terrarum. Insinuat etiam circumfusus ille radiorum fulgor eum, qui illo nomine vocatur, esse Patris æterni splendorem, in splendoribus sanctorum ante luciferum genitum. Ipse enim dicente Paulo, est splendor gloriæ, & candor lucis æternæ, immò ipse est sol verus iustitiæ oriens ex alto, & vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Præterea nomen IEsv radiis ornatum sursum, & deorsum, dextrorsum, & sinistrorsum depingitur, quoniam superno radiorũ suorum splendore beatos illuminat, imis radiis infernum inhabitantes flammis exustos adurit; à dextrâ verò radiis erumpentibus iustorum intellectus illustrat; deniq; à sinistrâ peccatoribus lumen præbet, ne viam salutis amittant, sed tanquam sidus splendidissimum IESV nomen respicienteſ ad felicem salutis portum ab illo deducantur.

Nomen IESVS cur radiis circumfusum depingitur.

Psal. 71.

Hebr. 1.

CONSIDERATIO III.

HOC sacratissimum nomen IESVS ante aduentum Christi in mundum, non fuit ita hominibus notum, immò si diuinis scripturis credimus, scimus à Patribus illis antiquis, & Patriarchis illud penitus fuisse absconditum. Dominus enim ad Moysen ipse dicit: Ego Dominus qui apparui Abraam, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicaui illis. Quod scilicet

Nomen IEsus antiquis absconditũ.

Exod. 6.

licet nomen Adonai ponitur, & pronunciatur loco nominis Iehoua, quód propter suam reuerentiam omnino subticetur. Et quanquam nomen Iehoua Patribus sanctis in lege veteri per Moysen fuerit reuelatum, nunquam tamen nomen IESVS erat illis tam claré, & aperté manifestatum. Hoc enim reseruatum erat legi nouæ, in qua oleum effusum nomen à sponsâ nuncupatur: Oleum effusum nomen tuum. Quod cùm alij Sancti Patres, & Doctores optimé de nomine IESV intellexere, tum præcipuè D. Bernardus qui hoc nomen dulcissimum & suauissimū oleo effuso persimile esse prædicat dicens: Nec mirum si cùm venerit plenitudo temporis facta est effusio nominis; Deo quippè, quod per Ioélem promiserat, adimplente, & effundente de spiritu suo super omnem carnem, cum tale aliquid & apud Hebræos legam. Quale erat, inquam, quód sciscitanti Moysi primo responsum est: Ego sum qui sum, & qui est misit me ad vos. Nescio si vel ipse Moyses caperet sic, si non videlicet effunderetur. Sed fusum est, & captum est. Nec modo fusum, sed & effusum, sed nondum infusum erat. Iam cæli habebant, iam Angelis innotuerat. Est autem, foris missum, & quod Angelis ita erat infusum, vt esset & priuatum; effusum & inter homines est, ita vt iam tunc meritò clamaretur de terrâ: Oleum effusum nomen tuum. Si non ingratæ plebis exosa peruicacia obstitisset. Vnde etiam mox exclamat idem dicens: Currite gentes, ad manum est salus, effusum est nomen, quod quicunq; inuocauerit saluus erit. Angelorum Deus, etiam hominum Deum se nominat. Oleum misit in Iacob, & cecidit in Israel. Dicite fratribus vestris; Date nobis de oleo vestro; si nolunt; rogate Dominum olei, vt mittat & vobis. Dicite, aufer opprobrium nostrum. Ne quæso insultet maleuolus dilectæ tuæ, quam à finibus terræ euocare placuit tibi tantò vtique dignantius, quantò minus dignam. Decetné obsecro vt benignum patrisfamilias inuitatos

Nomen IEsu oleum effusum nuncupatur.
Cant. 4.
D. Ber. ser. 15. in Cant.
Ioel. 2.
Exod. 14.
Bernard. ibidem.

tatos seruus nequam excludat? Ego sum ait Deus Abraam, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Et non ampliùs? Effunde, effunde, aperi manum tuam adhuc & imple omne animal benedictione. Veniant ab oriente, & occidente, & recumbent cum Deo Abraam, Isaac, & Iacob in regno cælorum. Veniant tribus tribus Domini: testimonium Israel ad confitendum nomini Domini. Veniant & recumbant epulentur, & delectentur in lætitiâ, & vnus vbiq; resonet in voce exultationis & confessionis sonus epulantis: oleum effusum nomen tuum. Et paulò post idem subdit. Agnosco nomen, quod in Isaiâ legi: Seruos suos inquit vocauit nomine alio, in quo qui benedictus est super terram benedicetur in Domino. *Isaiæ. 65.* O nomen benedictum. ô Oleum vsquequaque effusum. Quousque? De cælo in Iudæam, & inde in omnem terram excurrit, & de toto orbe clamat Ecclesia: Oleum effusum nomen tuum. Effusum planè, quod non solùm cælos terrasq; perfudit; sed asparsit & inferos, adeò vt in nomine Iesv omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, *Philip. 2.* & omnis lingua confiteatur, & dicat: Oleum effusum nomen tuum. Ecce Christus, ecce Iesvs, vtrumq; infusum Angelis, vtrumque effusum in homines, & illos homines, qui putruerunt vt iumenta in stercore suo: homines, & iumenta saluans quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus. Quàm carum, quàm vile; vile, sed salutare; si vile non esset, non mihi effunderetur; si salubre non esset, non me lucraretur. Particeps nominis sum, sum & hæreditatis. Christianus sum; frater Christi sum. Si sum, quid dico, hæres Dei sum, cohæres autem Christi. *Rom. 8.* Et quid mirum si sponsi effusum est nomen, cùm ipse quoque effusus sit? Nam semeitpsum exinaniuit, formam serui accipiens. Denique ait: Sicut aqua effusus sum. *Psal. 21.* Effusa est plenitudo diuinitatis habitans super terram corporaliter, vt de illâ plenitudine omnes, qui corpus mortis gestamus, caperemus, ac vi-

tali odore resperſi diceremus: Oleum effuſum nomen tuum. En qualiter, & quatenus effuſum. Cur verò oleum? Eſt proculdubio (pulchrè ait idem, mellifluus doctor) inter oleum, & nomen ſponſi ſimilitudo, nec otioſè Spiritus S. alterutrũ comparauit. Ego autem dico in triplici quadam qualitate, olei, quod lucet, paſcit & vngit. Fouet enim ignem, nutrit carnem, lenit dolorem; lux, cibus, medicina, vide idem, nunc de ſponſi nomine. Lucet prædicatum, paſcit cogitatum, inuocatum lenit, & vngit. Et percurramus ſingula. Vnde putas in toto orbe tanta, & tam ſubita fidei lux niſi prædicato IESV? Nonne in huius nominis luce Deus nos vocauit in admirabile lumen ſuum, quibus illuminatis, in lumine videntibus lumen, dicat meritò Paulus: Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.

D. Bernardus loco ſupra citato.

Nomen Ieſu eſt oleum effuſum quia lucet, paſcit vngit.

Nomen Ieſu eſt lux mundi.

Nec tantùm lux eſt nomen IESU, ſed eſt & cibus. An non toties confortaris, quoties nominis IESV recordaris? Quid æquè cogitantis mentem impinguat? Quid ita exercitatos reparat ſenſus, virtutes roborat, vegetat mores bonos, atq; honeſtos, caſtas fouet affectiones? Aridus eſt omnis animæ cibus, ſi non oleo iſto perfunditur. Inſipidus eſt, ſi non hoc ſale conditur, Si ſcribas non ſapit mihi, niſi ibi legero IESVM. Si diſputes, aut conferas, non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi IESVS. IESVS mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. Sed eſt & medicina. Triſtatur aliquis noſtrum? Veniat in cor IESVS, & inde ſaliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit ſerenum. Labitur quis in crimen, currit inſuper ad laqueum mortis deſperando; nonne ſi inuocet nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam? Cui aliquando ſtetit ante faciem ſalutaris nominis duritia (vt aſſolet) cordis, ignauiæ torpor, rancor animi, languor acedię? Cui fons fortè ſiccatus lachrymarum, inuocato IESV non continuò erupit vberior, fluxit ſuauior? Cui in periculis palpitanti, & trepidanti inuocatum virtutis nomen non ſtatim fiduciam

Eſt & cibus.

Eſt & medicina.

Nominis Ieſu virtus.

duciam præſtitit, depulit metum? Cui quæſo in dubiis æſtuanti, & fluctuanti non ſubitò ad inuocationem clari nominis emicuit certitudo? Cui in aduerſis diffidenti iam, iamq; deficienti, ſi nomen adiutorij ſonuit, defuit fortitudo?

Nimirùm morbi & languores animæ iſti ſunt, illud medicina. Nihil ſanè ita medetur omnibus animi languoribus, & infirmitatibus noſtris quàm nomen IESVS, quod ſuapte impetum iræ cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat liuoris vulnus, reſtringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, ſitim temperat auaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Si quidem cùm nomino IESVM, hominē mihi propono mitem, & humilem corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, & omni honeſtate, ac ſanctitate conſpicuum, eundemque ipſum Deum omnipotentem, qui me ſuo exemplo ſanat, & roborat adiutorio. Hæc omnia mihi ſimul inſonant, cùm inſonuerit IESVS. Hactenus D. Bernardus. Quæ cùm ita ſe habeant, tacitus pręterire non poſſum, quod etiam Theodoretus hoc in loco aduertit, non abſque myſterio à ſponſâ vocatum fuiſſe nomen ſponſi, non ſolùm oleum, ſed oleum effuſum. Nam quemadmodum oleum roſarum, vel alterius odoriferi liquoris, dum vaſe clauditur, quaſi nullum exhalat odorem; vbi autem diffunditur, & præſertim ſi vas, in quo erat rumpitur, protinus flagrans odor, & ſuauitas, ad omnium olfactus tranſmittitur; ita Chriſtus ante ſuam paſſionem paucis erat notus, erantque rariſsimi, quibus ille odorem ſuum cōmunicauit; ſed poſtquam vas ſacratiſſimi ſui corporis in circumciſione cæpit reſerari, & clauorum atq; lanceæ fixione perforari, (vnde ſuauiſſimi duo illi liquores ſanguinis & aquæ effluxerunt, de quibus ſcriptum eſt: Et continuò exiuit ſanguis & aqua) ſtatim à multis fuit cognitus, & inprimis ab ipſo dicente Centurione: Verè filius Dei erat iſte; deinde & aliis innotuit, qui pœnitentiâ ducti, quod hominem tantæ dignitatis & auctoritatis tam indigne tractâſſent, reuertebantur percutientes pectora ſua. Quod mani-

Theodor.

Ioan. 18.
Matth. 2.

nifestum est indicium, odorem suæ diuinitatis in vase illo sacratissimo latentis iam effusum ad ipsos peruenisse. Quæ omnia S. Ambrosius libro de Spiritu S. breuiter ita explicauit: Christi nomen ante eius aduentum quasi vase claudebatur, cùm esset tantùm notus in Iudæa Deus; postea verò diuinum suum nomen extendit, vt esset admirabile in vniuersâ terrâ. Et alibi idem ait: Semper quidem vnguentum hoc erat, sed erat apud Patrem, erat in patre; olebat tantùm Angelis, & Archangelis: descendit filius, & repleta sunt omnia nouo odore. Hæc ille.

Ambros. lib. de Spiritu sancto. c. 7.

Idem lib. 3. de Virg.

CONSIDERATIO IV.

SEd omissis Hebræorum, & Græcorum arcanis, de quibus iam multa disseruimus, explorandum est, cur hoc nomen in suo prototypo sanctum Domino fuerit appellatum, laminæque aureæ insculptum, & in fronte summi Pontificis suspensum? Si enim attentiùs & altiùs rem consideremus, haud immeritò hoc nomen sanctissimú, sanctum Domino dicitur; soli enim Deo, qui est verus Dominus, & cui Seraphim: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus proclamant, hoc nomen propriè attribuitur, nec vlli alteri præter ipsum conuenit. Ideoq; de se ipso apud Isaiam ait: Ego sum Dominus, & non est absq; me Saluator. Et apud Oseam: Ego sum Dominus Deus & Saluator non est præter me. Idem igitur est Deus, qui & Saluator, nec quisquam saluare, vel salutem dare potest præter ipsum Deum. Qui enim saluat, & dat salutem, idem dat vitam & esse. Salus enim dicit vitam perfectam, cum omni integritate, & sine vllo defectu. Qui autem dat salutem aliis, vitam, & esse; necesse est vt de se habeat salutem, vitam, & esse; quia vnum includit per ordinem aliud, & vltimum comprehendit omnia tria præcedentia. Quamuis autem sicut Pater in diuinis, ita & Filius, & Spiritus Sanctus non excludantur ab hoc nomine, quia Saluator Pater, Saluator Filius, Saluator Spiritus Sanctus

Nomen Iesus propriè Deo attribuitur.

Isaiæ 6.

Isaiæ 46.

Oseæ 3.

Salutem dare quid sit.

ctus; etsi non tres Saluatores, sed vnus Saluator, cùm sit vna, & eadem in Tribus natura, & potentia saluandi: peculiari tamen ratione hoc nomen soli Filio attribuitur, inquantùm est Verbum incarnatum, per quod in humanitate assumptâ perfecta est tota nostra salus, & redemptio. Neq; enim peccatores saluare potuisset nisi esset Deus & homo; Deus qui saluare posset: homo qui pateretur & iustitiæ diuinæ satisfaceret. Quod scitè sanè, & eleganter Dionysius Carthusianus expressit, qui Saluatorem triplici ex ratione dici asserit. Primò à potentiâ saluandi; sicque conuenit hoc nomen sibi ab æterno secundùm diuinitatem; & hoc modo non tantùm Filio competit, sed etiam Patri, & Spiritui sancto, & ex æquo toti sacrosanctæ, & indiuiduæ Trinitati. Secundò ab habitu, seu à gratiâ saluandi; & sic impositum fuit illi hoc nomen ab Angelo, & competit sibi ab instanti conceptionis, in quo secundùm humanitatem accepit gratiam tam perfectam, quâ postea fecit ea, per quæ actualiter mundum saluauit. Tertiò ab actu saluandi, & hoc modo vocatum est nomen eius IESVS in Circumcisione, competitque soli Christo, respectu totius suæ vitæ, mortis ac passionis. Hæc Dionysius. Vnde & illud non caret mysterio quod hoc nomen laminæ aureæ insculptum sit; inde enim patet quod hoc sanctissimum nomen sacratissimæ Christi humanitati cum in suâ gloriosâ Circumcisione, tum maximè in suâ dirissimâ Passione impressum, ac insculptum fuerit. Enimuerò cum reliquos titulos, vt potè Deus, Verbum, Creator, & his similia iure diuinitatis acceperit; at hoc sacratissimum nomen a maximo opere sumptum est. Cæli enarrant gloriam Dei, canit vates: & nomen IESVS enarrat non tantùm gloriam Dei, sed etiam salutem à Christo Domino per Crucem & Passionem hominibus allatam. Opera manuum Dei annunciat firmamentum, verùm maiora opera annuciat nomen IESVS; annunciat enim manus pedesque Christi fuisse clauis confixos, caput spinis coronatum, latus lancea perforatum,

Dion. Cart ser. de Circumcisione.

Nomen Iesus sacratissimæ humanitati Christi impressum a maximo opere sumptũ est.

Psal. 18.

Nomen Iesu Christum

clauis confixum, flagellatum, & ſpinis coronatum annunciat.

1. Mach. 6.

Nomen Ieſus pluris ducit Chriſtus quàm alia nomina.

totumq́; corpus eius pro ſalute humanâ vulneratum. Quare multò veriùs de illo, quàm de Eleazaro Machabæo dici illa verba poſſunt: Dedit ſe vt liberaret populum ſuum, & acquireret ſibi nomen æternum. Hinc eſt quod Dominus noſter IEsvs Chriſtus glorioſiſſimum IESV nomen multò pluris ducit, quàm reliquos titulos quantumuis glorioſos, & illuſtres. Cauſa in promptu eſt; quia generoſi, & excelſi animi pluris ſolent æſtimare ea, quæ proprio Marte, & virtute parantur, quàm illa, quæ iure hæreditario à parentibus conferuntur. Vnde legimus Patriarcham Iacob nomen Iſraël accepiſſe, quia fortiter, & ſtrenuè luctatus eſt cum Angelo. Pari ratione caput Eccleſiæ Beatus Petrus Apoſtolus, relicto nomine Simonis, quo priùs vocabatur, Petri nomen à Chriſto impoſitum accepit. Quoniam conſtantiâ fidei inter alios Apoſtolos excelluit. Eodem modo Duces, Reges, & Imperatores inſignes, de ſignis hoſti ereptis, de copiis in fugam conuerſis, de Prouinciis ſuperatis, aliiſq́ue rebus à ſe feliciter ac fortiter geſtis libentiùs, quàm de maiorum ſtemmatibus, & imaginibus gloriari conſueuerunt. Hac de cauſâ Scipionum vnus Africanus, alter Aſiaticus dici voluit, eò quod ille Africam, hic Aſiam debellauit, Romanoq́ue imperio ſubiugauit. Hac de cauſâ Iuſtinianus Germanicus appellatus eſt, quia Germaniam ſuperauit; & Titus Manilius Torquatus nominatus eſt, quia Torquem auream, fortiſſimo militi in prælio vi extorſit. Hâc eadem de cauſâ Chriſtus Dominus IEsvs, id eſt, Saluator dicitur, quia ſalutem toti humano generi proprio ſanguine, & vitâ comparauit. Reliqua Chriſti nomina, quibus appellatur Filius Dei, Splendor gloriæ, Verbum, Patris Sapientia, Veritas, Virtus Omnipotentis, Hæres vniuerſorum, Rex regum, Dominus dominantium, & his ſimilia à diuinâ naturâ trahunt originem, & Chriſto ab ipſa naturâ iure hæreditario ratione diuinitatis conueniunt; at præclariſſimũ IEsvs nomen, proprio merito, & virtute acquiſiuit; ob idque cæterorum immemor hoc potiſſimum

Nomen Ieſus proprio

mum gaudet appellari. Hanc causam arbitror esse, propter quam etsi reliqua nomina reliquerit; hoc nunquam dimiserit; quin in cruce pendens, illud tanquam totius ignominiæ suæ gloriam, dolorumq; omnium solatium retinuerit. Potuit hostium suorum furor, & immane odium vestibus eum spoliare; potuit malitia Iudæorum honorem suum obscurare: potuit crudelitas sanguinem suum exhaurire, ac tandem mortem acerbissimam sibi inferre; nomen autem IEsvs, quod vocatum fuerat ab Angelo, antequam in vtero conciperetur, nullo penitus modo potuit eripere, neq; abolere. Conabatur quidem gens illa perfida, & impia nomen IEsvs abradere, & perpetuâ ignominiâ illud obruere, perpetuæq; obliuioni tradere: vnde vt dicebat: Eradamus eum de terrâ viuentium, & nomen eius non nominetur ampliùs. At nomen IEsvs Sanctum, voluit Deus esse perpetuum, & æternum, ideoq; pyramidi, & columnæ crucis imponi voluit illum Titulum: IEsvs Nazarenus, Rex Iudæorum. Quod ita feliciter factum est, vt huius nominis gloriam, nec tempus edax rerum, nec ipsa inuidiosa vetustas, nec longa temporum series obruerit, nec obliuio depresserit, nec inimicorum suorum infestus furor de illo triumphauerit: immò etiam illis reluctantibus, & inuitis, per omnium ætatum, & sæculorum tempora permanebit, gloriosum cælo, & terræ omnibusque potestatibus tremendum, ac venerandum, non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Solent ciuilium officiorum, & Magistratuum, nomina qualia sunt Consulum, Prætorum, Aedilium, Regum, Imperatorum, quando ab ipso officio amouentur, pariter & ipsa deponi & aboleri; at nomen IEsv, id est, Saluatoris, etsi officij nomen concedamus; non tamen consummato redemptionis opere illud deposuit, neque dereliquit. Quin etiam quæsitus à Paulo, & rogatus; Quis es Domine? non respondit (vt alia eius nomina modo taceam) Ego sum, qui sum: Ego sum alpha, & omega; Ego sum via, veritas, & vita. Ego sum Deus

merito & virtute Christus acquisiuit.

Hier. 2.

Nomen Iesus voluit Deus esse perpetuum.

Ioan. 19.

Act. 9.

Exod. 3.

fortis Zelotes, Pater futuri sæculi, Princeps pacis: quibus titulis sæpiùs aliâs vsus fuerat; sed relictis omnibus his tàm amplis, & honorificis titulis: Ego sum, inquit, IEsvs quem tu persequeris. Causa verò ob quam Christus antiquissimis, & gloriosissimis Dei titulis postpositis, quibus poterat nominari, IEsvs nomen prætulerit, ea certè est, quam insinuaui, quia hoc nomen proprio sanguine, ac morte sibi comparauit, reliqua autem iure hæreditario vnà cum diuinitate à Deo Patre accepit.

Apoc. 1.
Ysaiæ 9.

CONSIDERATIO V.

SEd quid est, quod hoc nomen Sacratissimum super thyaram suspendi, & in fronte Summi Pontificis deferri Deus præceperit? Venerabilis Beda existimat Deum præcepto illo significare voluisse, sicut excellentia Dei omnia transcendit, iuxta illud: Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cælos gloria eius; ita pariter illius nomine omnia, quæcunq; nomina superari. Cui consonat electissimum vas Diuus Paulus, qui hoc nomen coram regibus, & gentibus portabat & exaltabat dicens: Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster IEsvs Christus est in gloria Dei Patris. O quàm magnum & præclarum est hoc nomen, ô quàm sublime & excellens, ô quàm tremendum & super omnia venerandum, cui in genua procumbunt Cherubim & Seraphim; cui prosternuntur Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, omniumq; cælorum Virtutes; cui Reges sceptra, Imperatores diademata; Pontifices thyaras, Seniores coronas submittunt, quo audito ipsi Principes & Rectores tenebrarum, omnesque Tartarei spiritus terrentur, horrent, contremiscunt, confunduntur, & in

Nomen Iesus omnia nomina trãscendit.
Ad Phil. 2.

fugam

fugam conuertuntur. Quid igitur hoc nomine poteſt eſſe maius & præclariùs? quid dici præſtantiùs? quid cogitari ſublimiùs aut magnificentius? Non defuerunt Ethnicis & gentilibus olim fortunata quædam,& boni ominis nomina; vt Macrinus, Lucrinus, & ſimilia: fuere quædam ſuauia & iucunda; vt Narciſſus, Cypariſſus, Eurilaus, Earinus, de quibus Martialis illud ait.

Mart. lib. 9 Epig. 8.

Nomen cum violis, roſiſque natum,
Nomen nectare dulcius beato.

Fuerunt quædam auguſta, & in ſummo pretio ac veneratione habita, vt Auguſtus, Antoninus, & id genus alia: ſed quid ſunt hæc omnia, ſi cum nomine IESV conferantur? in quo eſt felicitas & beatitudo æterna, ſuauitas & iucunditas infinita, dignitas, & Maieſtas immenſa. Valeant Macrini Lucrini, marceſcant Narciſſi & Cypariſsi, obſoleſcant Auguſti, & Antonini: vnum ſanè tantùm eſt cunctis populis, & gentibus fortunatiſſimum, ſuauiſſimum, optatiſſimum, & auguſtiſsimũ IESVS nomen, in quo omnium bonorum, quæcunque optari & deſiderari poſſunt, ſumma & complexio continetur. Non defuere & Diis gentilibus præclariſsima & celeberrima nomina, quæ illi priſci Poëtæ, & Oratores magnifico ore ſuo propalabant: at vbi nunc eſt eorum ſplendor, & honor? Iacet nunc Iouis Capitolini nomen: iacet nomen Apollinis, Martis, Mercurij, Saturni; iacet nomen Iunonis, Dianæ, cæterorumque Deorum, vel potiùs Dæmonum nomina, nihil honoris, nihil venerationis habent: omnia hæc (quin & ipſa gentilia ſimulacra) hoc ipſum nomen glorioſiſsimum obruit, & aboleuit. Nulla iam penè eſt ſub ſole gens tam fera & barbara, quæ huic glorioſiſſimo nomini genu ſuum non flexerit, nulla tam ſtolida & impia, quæ hoc ſacratiſsimum nomen non inuocauerit, & non magnificauerit. Quare non immeritò apud Prophetam, magnum eſt in gentibus nomen meum dicit Dominus. Olim cùm ſolùm eſſet notus in Iudæa Deus; In Iſraël quoque tantùm erat ma-

Nomen Ieſu fortunatiſſimum, ſuauiſſimum.

Nomen Ieſus omnia Deorum gẽtilium nomina & ſimulacra aboleuit.

Malach. 1.

gnum.

gnum nomen eius: nunc verò, vbi in vniuerso orbe annunciatur Christiana fides, admirabile est nomen IESV in vniuersâ terra; & à Solis ortu vsque occasum laudabile nomen Domini. Non desunt & modo mortalibus splendidissimi, ac illustrissimi tituli, Magnatum, Regum, Imperatorum, Ducum, Principum, Procerum; de quorum numero ille erat, cui dictum est à Domino: Feci tibi nomen grande iuxtà nomen magnorum, qui sunt in terrâ; hanc tamen Magnatum, Imperatorum, Regum, Principum dignitatem, & eminentiam, superat nomen IESV; vt potè quod à Regibus, & principibus & aliis omnibus cuiuscunque fuerint status, & conditionis piè coli, & venerari ab eodem rege, & Prophetâ his verbis iubetur: Reges terræ, & omnes populi; Principes, & omnes iudices terræ, iuuenes & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini; quia exaltatum est nomen eius solius. Sunt & Spirituum cælestium nobilissima, & excellentissima nomina scilicet Angelorum, Archangelorum, Principatuum, Dominationũ, Virtutum, Potestatum, Thronorum, Cherubinorum, Seraphinorum, omnia tamen hæc gloriosissimum, & excellentissimum nomen IESV excellit, atq; antecedit; quem (teste Apostolo) Deus Pater à mortuis suscitauit, & constituit in cælestibus supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro: Tantoque (vt ait idem Apostolus) melior Angelis est effectus, quantò differentius nomen præ illis hæreditauit. Nullum igitur superest tam illustre, & gloriosum nomen, nulla tam sublimis potestas in cælo, & in terrâ, nulla tam excellens gloria, & virtus, quæ cum excellentissimo, & gloriosissimo nomine possit comparari. Quantùm enim Angelicam naturam excedit natura diuina quæ in Christo est: tantùm sacratissimum, ac diuinissimum nomen IESVS, reliquas omnes appellationes Angelorum antecellit. Extant præterea & alia præstantissima, summaq; & omni

Psal. 25. *Psal. 112.* *2 Reg. 7.* *Nomen Iesu nomina Regum superat.* *Psal. 148.* *Nomen Iesu omnia nomina Angelorum antecedit.* *Ephes. 1.* *Hebr. 1.*

& omni veneratione dignissima Dei nomina (quæ à S. Hieronymo Epistola ad Marcellam enumerantur.) Tale est Heloim, quod interpretatur Deus meus: tale Adonai, hoc est, Dominus meus; tale est Sadai, quod idem est, quod sufficiens ad omnia; tale est Sabaoth; tale est Tetragrammaton, illud & ineffabile, quod vulgò Iehoua dicitur; verùm omniū præstantissimum, & dignissimum est Sacrosanctum nomen IESVS, quod maiori veneratione, quam omnia alia nomina colit Sancta Ecclesia. Inueniuntur adhæc alia plurima nomina, quę Messiæ in scripturis propriè attribuuntur: huiusmodi sunt illa quæ recenset Isaias dicens: Et vocabitur nomen eius admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Habet & alia cognomina, quæ sparsim in Scripturâ sacrâ reperiuntur. Vocatur enim Lux, Sol, Stella, Thesaurus, semen, flos, arbor, lapis, petra, fundamentum, Aquila, Leo, Agnus, vitulus, Via, Veritas, & Vita, Sapientia, Virtus, & Fortitudo Dei; Habet & alia magis sibi propria Epitheta. Cum enim immensum, ac penè infinitum sit opus, & officium, & beneficium ergà nos Saluatoris nostri, non vno verbo potest exprimi; ideoq; sacræ Scripturæ tot cumulant Epitheta, totque gloriosos congerunt titulos, vt officium, & beneficium erga nos Christi exprimant. Nunc igitur vocant eum Mediatorem, nunc Propitiatorem, nunc Redemptorem, nunc Iudicem, nunc Testem, nunc Aduocatum, & Defensorem; quandoque Fratrem, Patrem, Magistrum, Ducem, & Pastorem, nonunquā Dominum, Regem, Sacerdotem, quæ omnia & his similia hoc amplissimū nomen IESVS virtute suâ in se complectitur. Quemadmodū enim flumina intrant mare; ita omnia nomina quæ Christo in scripturis Sacris attribuuntur in hoc nomen ingrediuntur ait D. Bernardus. Enimuerò quis ita est admirabilis sicut IESVS, qui admirandum in modum, & præter omnem spem, & opinionem Iudæorum, salutem mundo attulit? Quis tam bonus Consiliarius sicut IESVS, qui eximia præcepta, & consilia

S Hier. Epi. 136. ad Marcellam.

Nomen Iesus omnibus aliis diuinis nominibus præstat.

Isaiæ 9.

Epitheta Christi & tituli.

Laudes nominis Iesu.

lia dedit hominibus? Quis tam fortis Deus sicut IESVS, qui mundum, mortem, infernum debellauit, omnesque hostes saluti humanæ aduersantes superauit? Quis etiam Pater futuri sæculi est, nisi IESVS, qui salutem omnium sæculorum peperit? Quis princeps pacis nisi IESVS, qui omnia bella, & lites extinxit, & omnia siue ea, quæ in terris sunt, siue quæ in cælis sunt, per sanguinem suum pacificauit? IESVS vt ait Bernardus, Admirabilis est in Natiuitate, Consiliarius in prædicatione, Deus in operatione, Fortis in Passione, Pater futuri sæculi in Resurrectione, Princeps pacis in beatitudine. Quid plura referam? IESVS est lux, quæ illuminat, omnem venientem in hunc mundum. IESVS est sol iustitiæ, qui solus lucet, qui solus illuminat, & viuificat omnia. IESVS est stella non erratica, sed fixa, & immobilis, quæ nunquam errat, nunquam cadit, quinimmo nos ne cadamus, & erremus sustinet. IESVS est Thesaurus infinitus, sed nonnisi à paucis cognitus & expetitus. IESVS est semen, paruum quidem externâ specie, sed tantæ virtutis, vt excrescat in arborem magnam, & terram omnem repleat; ita vt volucres cæli homines nimirum sublimes ingenio, & contemplatiui veniant, & sub ramis eius requiescant. IESVS est flos odoriferus, ex quo apes sanctæ, hoc est, animæ piæ & deuotæ colligunt mel spiritualis dulcedinis, & consolationis. IESVS est arbor vitalis, quam qui gustat non moritur in æternum. IESVS est petra, quæ firmat omnes in se credentes. IESVS est lapis angularis, qui Iudæos, & gentiles fecit vnum. IESVS est fundamentũ Religionis nostræ, totiusq; spei & salutis. IESVS est fons viuus, præbens aquam vitæ æternæ, omni animæ sitienti. IESVS est Aquila super omnes Angelorũ choros exaltata. IESVS est Leo, qui draconem infernalem vicit, omniaq; in cælo, & in terra potestati suę subiugauit. IESVS vitulus est pro peccatis nostris immolatus. IESVS est Agnus qui tollit peccata mundi ab origine mundi occisus. IESVS est via patens, quæ ducit ad cælum. IESVS est veritas ab omni mendatio aliena. IESVS est

Bernar. ser. 4. in vigil. Natiuit.

Encomia nominis Iesu.

vita, quâ omnia viuunt, quæ de morte triumphauit, quæ homines mortales efficit immortales. IESVS est Sapientia æterna, ex corde Patris nata, quæ hominibus quotidie tot reuelat arcana & mysteria. IESVS est virtus & Fortitudo Dei, sine quâ nihil vnquam factum est, nec fit, nec fiet visibile, vel inuisibile: & vt rem paucis complectar: IESVS est omnia omnibus, & omnia in omnibus. Mediator est, quia pacem inter Deum, & homines restaurauit. Propitiator est, quia peccata remittit. Redemptor est, quia peccatores à morte æternâ & tyrannide Diaboli redemit. Iudex est, quia rebelles castigat, & fragiles atque infirmos absoluit. Testis est, quia nos coram Patre excusat. Aduocatus est, quia causam nostram coram diuinæ iustitiæ tribunali peragit. Defensor est, quia aduersus Diabolum nos defendit. Frater est, quia nos in partem suam vocauit. Pater est, quia nos hæredes regni cælestis constituit. Magister est, quia Dei viam in virtute & veritate docet. Dux est, quia exemplo suo ab impiâ vitâ nos reuocat, Pastor est, quia nos corpore suo, & sanguine pascit. Rex est, quia omnia regit, conseruat & gubernat. Dominus est quia in necessitatibus nostris nobis opitulatur. Sacerdos est, quia seipsum sacrificat, salutemq; omnium operatur, & vitam æternam omnibus elargitur. Tàm igitur est præclarum, & magnum hoc nomen, tàm sublime, & excellens, tàm potens & salutare, vt totum sit sanctum, totum diuinum, totum salutiferum, totum mysteriis, & maiestate plenum, totum amabile, totum delectabile, & desiderabile. Et quis dignis laudum Encomiis, hoc Sacratissimum & gloriosissimum nomen prædicare sufficiat? Hoc est illud nomen, quod à Deo ab æterno fuit prædestinatum, à Patribus sanctis desideratum, à Prophetis prophetatum, in Patriarchis antiquis præsignatum, Diuino ore nominatum, ab Angelis diuulgatum, à Sacratissimâ Virgine Mariâ prædicatum, ab Apostolis magnificatum, à Martyribus testificatum, à Confessoribus collaudatum, à Virginibus tanquam oleum effu-

Iesus est omnia omnibus.

Prærogatiua & excellentia nominis Iesu.

effuſum prægu tatum, & ab omnibus fidelibus adoratum. Hoc eſt illud nomen magnum, de quo per Prophetam: Magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus. Hoc eſt illud nomen ſanctum & terribile, de quo Pſaltes canit: Sanctum & terribile nomen eius. Bonis quidem & ſanctis ſanctum, charum, dulce, ſuaue, & amabile: at malis & impiis tremendum, horrendum, & formidandum, vtriſque verò ſemper & vbiq; admirandum, reuerendum ac venerandum. Hoc etiam nomen eſt illud præpotens, de quo Moyſes in Exodo ait: Dominus quaſi vir pugnator omnipotens nomen eius, currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare. Hoc eſt illud nomen, quod contra omnes hoſtiles aſtus præſtat, remedium præſentiſsimum, & præſidium tutiſsimum: ideoque ſapiens rectè & ſapienter ait: Turris fortiſsima nomen Domini; ad ipſum iuſtus currit, & exaltabitur. Hoc nomen eſt; quod dedit cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis curſum, ſermonem mutis, vitam mortuis, totamq; poteſtatem Diaboli ab obſeſsis corporibus effugauit. Hoc eſt nomen quod iuſtos ſanctificat, & ex peccatoribus iuſtos facit: Abluti eſtis (ait Apoſtolus) iuſtificati, & ſanctificati in nomine IESV. Huic omnes Prophetæ perhibent teſtimonium, accipere remiſsionem peccatorum per nomen eius. Hoc nomen eſt virtus in ſalutem omni credenti. Et omnis quicunq; inuocauerit nomen Domini ſaluus erit. Suauitatem quoq; huius nominis nullus exprimere valet, cùm illud ſit certiſſimum quod B. Bernardus in laudem huius nominis ſuauiſsimi inter alia canit:

Mal. 1. *Pſal. 110.* *Exod. 5.* *Prouer. 8.* *Corint. 6.* *Actor. 10.*

IESV dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia:
Sed ſuper mel, & omnia
Eius dulcis præſentia,
Nil canitur ſuauius,
Nihil auditur iucundius,

Nil

Nil cogitatur dulcius,
Quàm IESVS Dei Filius.
IESVS spes pœnitentibus,
Quàm pius es petentibus,
Quàm bonus tè quærentibus,
Sed quid inuenientibus?
IESV dulcedo cordium,
Fons viuus lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.
Nec lingua valet dicere,
Nec litera exprimere,
Expertus potest credere,
Quid sit IESVM diligere. *& paulò post.*
Amor IESV dulcissimus,
Et verè suauissimus,
Plus millies gratissimus,
Quàm dicere sufficimus.
Hoc probat eius passio
Hoc sanguinis effusio,
Per quam nobis redemptio
Datur, & Dei visio.
IESVM omnes agnoscite,
Amorem eius poscite,
IESVM ardenter quærite,
Quærendo inardescite.
Sic amantem diligite,
Amoris vicem reddite,
In hunc odorem currite,
Et vota votis reddite.
IESVS auctor clementiæ,
Totius spes lætitiæ,
Dulcoris fons, & gratiæ,
Veræ cordis delitiæ. *& iterum.*

Cùm dignè loqui nequeam,
De te tamen ne ſileam,
Amor facit vt audeam,
Cùm de te ſolùm gaudeam.

Tua IESV dilectio,
Grata mentis refectio,
Replens ſine faſtidio,
Dans famem deſiderio.

Qui te guſtant eſuriunt,
Qui bibunt adhuc ſitiunt.
Deſiderare neſciunt,
Niſi IESVM quem diligunt.

Quem tuus amor ebriat,
Nouit quid IESVS ſapiat,
Quam felix eſt quem ſatiat?
Non eſt vltra quod cupiat,

IESVS decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cælicum.

IESVS ſole ſerenior,
Et balſamo ſuauior,
Omni dulcore dulcior,
Cæteris amabilior.

Cuius guſtus ſic afficit,
Cuius odor ſic reficit,
In quo mens mea deficit,
Solus amanti ſufficit.

Tu mentis delectatio,
Amoris conſummatio,
Tu mea gloriatio,
IESV mundi ſaluatio.

Quis fando explicare ſufficiat omnia huius Sacratiſsimi nominis myſteria? O nomen IESV ſuper omne nomen exal-

tatum. O nomen Triumphale. O gaudium Angelorũ. O lætitia iustorum. O pauor inferorum, in te omnis spes vitæ, omnis spes gratiæ, in te omnis spes gloriæ. O nomen dulcorosum: Tu peccatoribus veniam præstas; tu mores renouas, tu mentes diuinâ dulcedine reples, tu phãtasmata noxia pellis. O nomen gratiosum per te mysteria alta reuelantur, per te animæ ad Diuinum amorem inflãmantur, roborantur in pugna, & à periculis liberantur. O vtinam mille cordibus te amare, mille linguis te laudare possemus. Currite igitur ad IESVM omnes gentes, quærite eum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est. IESVS est salus mundi, salus vera, salus certa, salus perfecta, salus æterna, IESVS est salus mundi. Non enim venit Filius hominis vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. IESVS est salus vera, qui Angelo attestante saluum facit populum suum à peccatis eorum. Habuerunt Iudæi alios saluatores iuxta illud Neemiæ: Secundùm miserationes tuas multas, dedisti eis saluatores, qui saluarent eos de manu hostium suorum. Talis erat Iesus Sirach Doctor fidelis; talis erat Iesus Iosedech summus sacerdos; talis erat ille Iesus Naue dux, & Antesignatus inexpugnabilis. Verùm hi vmbra fuerunt veri Saluatoris, neq; enim potuerunt veram salutem parare. Hæc enim vera & sola est salus à peccatis saluum facere, à morte æternâ Diaboliq; Tyrannide liberare. Hanc Iacob Patriarcha suspirabat cum illa verba in extremo spiritu proferret: Expectabo salutare tuum Domine. Hanc & Propheta expetebat cum spem suam in Deum erigeret dicens: Ego autem in Domino gaudebo & exultabo in Deo IESV meo. IESVS est salus certa: neque enim aliud sub cœlo datum est nomen hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri, nisi in nomine Domini IESV. Ad extremum IESVS est salus perfecta, & æterna, quia non corpori tantùm, sed etiam, animabus medetur. Mirum est quod de S. Ignatio fertur, qui hoc suauissimum nomen cordi medullitus inscriptum habuit, ideóq, multis & variis tormentis &

Exhortatio & inuitatio omniũ gentium ad Iesum.

Neemiæ 9.

Genes. 49.

Abac. 3.

suppli-

suppliciis quantumuis exquisitissimis & dirissimis superari non potuit. Quod postea ab eius corpore extractum, atq; per medium scissum, inuentum est IESVS CHRISTVS aureis litteris insculptum. O quam iucundum & amabile, ô quam efficax & salutare est nomen IESVS in corde ipsum diligentium, quod non tantùm viuis, sed etiam mortuis efficacissimum præstat antidotum. Medici ægrotis quandoq; salutem dare nequeunt: IESVS autem ipsis hominum cadaueribus vitam, & sanitatem perfectam affert. O si medicus in orbe reperiri posset qui salutem ægris ducentorum vel mille annorum conferret; quis ad eum non properaret, quis largam salutem auro, & argento sibi non compararet? En medicum habemus qui non ducentorum, vel mille annorum, sed totius æternitatis salutem affert: cur ad eum non properamus? cur ab eo salutem, & medelam vulneribus nostris non flagitamus? Quomodo ad eum cum Prophetâ non exclamamus? Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriam Nominis tui libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. O bone IESV aspice in me, & miserere mei secundùm iudicium diligentium nomen tuum. Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim. Domine Deus salutis meæ dic animæ meæ: salus tua ego sum. Exultabit cor meum in salutari tuo, cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, & psallam nomini Domini altissimi. Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in sæculum & in sæculum sæculi, per singulos dies benedicam tibi & laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi. Laudationem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini Sancto eius in sæculum & in sæculum sæculi. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus, & benedictum nomen maiestatis eius in æternum: & replebitur maiestate eius omnis terra, fiat, fiat.

S. Ignatius Nomen Iesus aureis literis cordi inscriptum habuit.

Psal 78.

Psal. 118.

Psal. 24.

Psal. 34.

Psal. 12.

Psal. 144.

Psal. 71.

ri
er
eis
m
n-
i-
m
vi-
e-
o-
á-
n.
o-
s?
u-
s?
ni-
r.
nei
o-
eit
ua
so-
ui-
ini
ne-
cu-
be-
iæ-



